

Karl Christian Engel


**Qvvm Vir Plvrimvm Reverendvs, Amplissimvs, Atqve Doctissimvs Dominvs,
Dominvs Ioannes Henricvs Beckervs, Philosophiae Doctor Fulgidissimvs ...
Consentientibus Amplissimi Senatus suffragiis, VIII. ante Calendas Augusti Anni
MDCCXXX. In Nvmervm Dominorum Professorvm Reciperetvr ... Dissertatione
Epistolari De Bonis Gentilivm Eidem ... Gratvlatvr Carolvs Christianvs Engel,
Grabovio-Mecklenb.**

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1730]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1747162809>

Druck Freier  Zugang







Bibl.
Schol. Cathedr.
Jur. Tron.

1836.

Mk-7775^a
~~Mk-7774~~





Fasciculus
Actorum Jubilæi,
ab
Exhibita in Comitibus Imperij
Augustana Confessione,
in
Academia Rostochiensi
celebrati,
Secundi.
a^o 1730.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and includes the following lines:

Academiae Rostockensis
Rechtswissenschaften
1750



Fragment of text from the adjacent page, visible on the right edge. The text is in a Gothic script and includes the following words:

geha
derse
stuf
then
mir
für
lich
Bisch
dräng
nicht
und
Beisli
juvor
Zweiff
Unse

70

QVVM
VIR PLVRIMVM REVERENDVS, AMPLISSI-
MVS, ATQVE DOCTISSIMVS DOMINVS,
DOMINVS
IOANNES HENRICVS
BECKERVS,

PHILOSOPHIAE DOCTOR FULGIDISSIMVS,
AD TEMPLVM, DIVO NICOLAO SACRVM, ECCLESIASTES
FIDELISSIMVS, MERITISSIMVSQVE,

Consentientibus Amplissimi Senatus suffragiis,
VIII. ante Calendas Augusti Anni MDCCXXX.

IN NVMERVM DOMINORVM PROFESSORVM
RECIPERETVR,
MORVMQVE DOCTRINAM PVBLICE TRADENDI
MVNVS OBIRET,

DISSERTATIONE EPISTOLARI

DE
BONIS GENTILIVM OPERIBVS
EXPONENTE

E I D E M

PRO ADFINITATIS IVRE, MERITORVMQVE IN SE COPIA
EX ANIMO GRATVLATVR

CAROLVS CHRISTIANVS ENGEL,
GRABOVIO - MECKLENB.

ROSTOCHII,

Typis IO. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typograph.

5.

[Blank white area]

[Faded, mirrored text bleed-through from the reverse side of the page]

Handwritten mark or signature

VIR PLVRIMVM REVERENDE,
EXCELLENTISSIME DOMINE
PROFESSOR,
FAVTOR, A TQVE ADFINIS SINGVLARITER
OBSERVANDE.



Onis moribus, publice in academia docendis, fingendisque, quum hodie praeficiaris, VIR PL. REVERENDE ! inter amicos, qui, sincere TE amantes, oblatam TIBI personam gratulantur, vt ego meum quoque nomen profitear, non vna postulat ratio. Ne enim adfinitatis, per quam TIBI innexus sum, mentionem faciam, tot TVI in me adfectus largioris, fauorisque, exstant documenta, vt occasionem certe, gratum animum demonstrandi, inuestigare me oporteat, nedum, sponte occurrentem adripere. Verum, vt ligati sermonis defectum arguenti, nouo TVO conuenientis muneri, tractatione redimam, compensemque, paucis exponere liceat, *quae ratione bona gentilium opera DEO probari, placereque, mihi quidem, videantur.*

A 2'

De

De TVA non dubitandum indulgentia, VIR PL. REVERENDE!
hinc in duo argumentum, cui accingor illustrando, diuidam statim mo-
menta. Qui enim, qua ratione bona gentilium opera DEO place-
ant? definiatur, nisi expositum sit, quo demum sensu bonorum nobis
nomine veniant? *Primo igitur loco exponam rationem*, qua ope-
ra gentilium arbitror bona appellari posse; *expliciturus tum porro*,
quo demum modo DEO eadem placere possint, atque probari.

Nec tamen, *quod ad primum momentum attinet*, opus esse cen-
seo, ut moneatur, non externas solum gentilium actiones, sed & in-
ternas, sub DEI omnino iudicium cadentes, cogitationes, propen-
siones, adfectus, cet., intelligendas esse. Nimirum, in morum do-
ctrina ubi occurrit actionis, operisue, vocabulum, in sensu id sumen-
dum laxiori, nemo est, quin exploratum habeat. Ceterum, hic illa
in censum veniunt opera, quae ad legem diuinam, cordibus homi-
num natura insitam, inscriptamque, ex instituto conformata, cum vo-
luntate Numinis quodammodo conueniunt. Quodammodo, inquam.
Nam, si accuratiorem, nedum, accuratissimam velis conuenienti-
am, propugnauerim ipse, gentilium opera, quae bona sint, id est,
perfecta, dari omnino nulla. At dari alias, quae quodammodo cum
lege consentiant, negari nequit. Equidem vel id largitus sim, plu-
rima eorum, quae nobis quidem primo intuitu bona apparent, spe-
ciem modo bonitatis mentiri, suisque circumstantiis esse infamia.
Nec tamen in genere de omnibus idem valeat iudicium. Pondere-
mus, quae contrarium suadent, argumenta. Quum enim DEus eum
in finem lumen naturae, & rationis, relictum hominibus voluerit,
ut, Numine ipsius inde cognito, ad voluntatem suam sese accommoda-
re condiscant, per hancce viam ad gratiam, quae in reuelatione
conspicitur, transituri, dici profecto nequit, in eo omne DEI consi-
lium falli, nec quemquam existere in ethnicis, qui eum aut cogno-
scat, aut voluntati eius morem gerere adnitatur. conf. Rom. I. 19.
Obiici potest, fateor, peccatum originis, quo corrupti praepediantur
homines, ut ne velle quidem bonum queant, multo minus ad DEI re ipsa
se componere voluntatem. vid. Eph. II. 1. 2. 3. Ph. I. 13. Io. VI. 29. (*)
Sed

(*) *Comp. ven. PAVLI ANTONII Diss. de fide, tanquam opere DEI sum-
mo, Cap. praecipue II.*

Sed enim vero, uti ex una parte cauendum, ne aut naturalistarum, quos aiunt, aut Pelagianorum, aut Semi-Pelagianorum (*) saltem, Pontificiorum porro, Socinianorum, reliquorumque omnium (***) naturae viribus, quod nimium est, tribuentium, propudiosos errores adoptemus; ita prospiciendum ex altera, ne derogetur aliquid gratiae Numinis, quam dicimus, praeueniendi, (***) quae sicubi alias, certe in lumine naturae, ad homines, manu quasi ad DEum ducendos, sese manifestat. Breuibus, salutariter naturalis homo ad DEum se conuertere, eiusque obseruare statuta nequit. Potest interim excitari cognitione, ex lumine naturae hausta, ut, quid faciendum? quid omittendum? non solerter solum decernere norit, sed & ipsi rectae rationis dictamini aliquali conatu, languido saltem, facere satis sustineat. Confirmant, quae diximus, nouoque praesidio muniunt, exempla multorum gentilium ubiuis obuia. Barbararum gentium philosophos rectis moribus praecipuum statuisse praerium constat. Et quamquam Graecorum philosophi in eo culpentur, quod ingenio suo, subtilitatum nimis curioso, plus iusto, indulserint, fuisse tamen inter hos ipsos, qui, quoad eius fieri potuit, in Numinis timore versantes, moribus essent honestis, atque inculpatis, Socratis, Platonis, aliorumque exempla loquuntur. Et quid multi sumus? Vno vnus Pauli effato res omnis conficitur. Ille enim gentiles, carentes lege, scripta scilicet, sibi met ipsis legem esse, faterur, eoque, quod peragerent τὴν τοῦ νόμου, demonstrare docet, τὸ ἔργον τοῦ νόμου in ipsorum inscriptum esse cordibus. Rom. II. 14. 15. Accurate profecto, sapienterque, de operibus gentilium legatus ille diuinus praecipit. Dum enim dicit, gentiles per opera, φύσει,

A 3

id

(*) Per gratiam praeueniendam, quid intelligamus, obscurum nemini esse potest, quum res ipsa doceat, specialiori in sensu illam nobis accipi, singularemque proinde numinis denotare directionem, qua occasionem hominibus ad sui conuersionem, diuino efficiendam verbo, subministrat.

(**) Semi-Pelagiani eo reprehensionem incurrunt nomine, quod naturae viribus, antequam a gratia diuina excitantur, competere posse adfirmauerint desiderium regenerationis, & fidei, quod non est aliud, nisi fidei quoddam initium, dicente ven. IO. GEORG. PRITIO diss. de Pelagianismo orth. eccles. a reform. iniue imputato §. 3. p. 7.

(***) conf. B. IO. ANDR. QVNSTEDII System. Theol. Part. IV. Cap. IX. Sect. II. Quaest. I.

id est, pro dictamine recte rationis peracta, ostendere, quod τὸ ἔργον τοῦ νόμου, opus legis, siue, quod lex operandum, praestandumque, sancit, sibi sit insitum, legem naturalem gentilibus esse actionum suarum normam, luculenter innuit. Etenim, si ethnici, casu saltem fortuito, quaedam cum lege congruentia patrarent, argumentum inde petere non posset pro existentia legis, cordibus hominum inscriptae. Dum vero non dicit, quod τὸν νόμον, sed quod modo τὰ τοῦ νόμου operibus suis exhibeant gentiles, infirmitatem eorum respicere merito censetur, qua legem ipsam implere non valentes, quaedam tantummodo peragunt, cum lege quodammodo conspirantia. Sed haec talia an bona vocanda sint opera? necne? id vero est, de quo iam porro dispiciendum. Et possunt bona vocari & non possunt, prout ea nimirum consideraueris. De eo nullum dubium est, quod, quum varia inde ad rem publicam commoda redundent, bonorum nomen tueantur in sensu civili & politico. Nec id magnopere quaeritur, num, si cum aliis aliorum facinoribus, viuendi principiis, quae natura docet, e diametro repugnantibus, contentantur, bonorum operum mactari encomio possint? Sed hoc iam venit in considerationem, nonne ad ipsum ius naturae, legesque diuinas examinata isthoc quodammodo digna videantur nomine? Quum vero ius naturae ipsam DEI exprimat iustitiam, huicque gentilium opera paria esse nequeant, tantum abest, vt theologi, bona illa dicenda esse, existiment, vt peccatorum potius splendidorum, quibus ipsis grauius se obstringant homines, eadem notent nomine. *Nulla est, inquit PII NOSTRAE ECCLESIAE CONFESSORES in solid. declar. p. 700. de hac propositione inter nostros dissensio, quod vere bona opera non propriis naturalibus viribus; sed tum demum fiant, quum persona per fidem cum DEO est reconciliata & per spiritum s. renouata, & in Christo Jesu (vt Paulus loquitur Eph. II, 10.) demum ad bona opera creata est.* Pauloque post eadem addunt: *Etsi opera illa, quae ad conseruandam externam disciplinam faciunt (qualia etiam ab infidelibus, & non ad Deum conuersis hominibus fiunt, & quidem requiruntur) suam coram mundo dignitatem, & laudem, habent, & temporalibus quibusdam praemiis, in hoc mundo, a DEO ornantur: Atamen, quum non ex vera fide proficiantur, reuera coram DEO sunt pec-*

peccata, hoc est, peccatis contaminata, & a DEO pro peccatis, & im-
munditia, reputantur propter naturae humanae corruptionem, & quia
persona cum DEO non est reconciliata, cet. Quo etiam reliquorum
theologorum, horum vestigiis insistentium, praecepta tendunt, qui-
bus inculcant, quamquam, qua *ovoiav*, quaque actum externum, ta-
lia gentiliū opera bona sint, mala tamen & esse, & reputari, ob
conditionem operantium (*). Nimirum, quum viris optimis id demum
bonum dicatur, quod ita comparatum, vt DEI animum grate adficiat,
DEusque tum in hoc, tum in futuro seculo, remunerari velit, bona
non nominant, nisi, quae a regentis sunt, nisi, quae ex vera fide
proficiscuntur, nec nominare haecenus queunt. Nulla ea de re
quaestio est, nulla dissensio, nulla controuersia. At enim vero,
quum id alias bonum audiat, quod in suo genere spectatum fini suo,
suoque scopo, responderet, expendendum erit, num is luminis na-
turae finis sit, vt gentiles actionibus suis iustitiae diuinæ exacte sa-
tisfaciant? non puto. Id namque demum prouida DEI cura inten-
dit, vt gentiles Numen suum quodammodo inde cognoscentes, in
eiusque accensi venerationem, certa paedagogia ad regnum gratiae
pertrahantur, vtque hac ratione lumen naturae reuocet eos, redu-
catque, ad lumen gratiae. Paulus enim quum Act. XVII, 26. 27.
testatur, DEum ex vno sanguine totam gentem hominum fecisse, vt
super vniversa terrae superficie habitaret, & definiisse stata tempora,
terminosque habitationis posuisse, eum id factum in finem addit, *vt
quaererent dominum, si forte palpando eum inuenirent.* Quare nec ita
gentiliū opera cum principiis iuris naturalis conferenda credide-
rim, vt, num DEI omnino expleant iustitiam? quaeratur, sed ita,
vt examinetur, num voluntati diuinæ in tantum conformia sint, in
quantum esse possunt, in quantumque esse debent, vt DEus, quem
per lumen naturae intendit, scopo potiat, scilicet, vt hac metho-
do ad verae gremium ecclesiae miseros illos perducere possit. Quo
quidem si comparatae sint gentiliū actiones, vti quodammodo esse
possunt

(*) Conf. B. IO. FRANC. BVDDI Instit. theol. dogm. Libr. IV. Cap. V.
§. 21. B. IO. GVIL. BAIERI Disp. exhib. synopsis. theol. nat. coll.
eum ib. reuel. Sect. VI. §. 27. 28. b. IO. DIECMANNI schediasma tra-
aug. de naturalismo cum aliorum, tum maxime Io. Bodini §. 17. & alii.

possunt, operum, in suo quidem genere, id est, in sensu, non spiritali, sed morali, bonorum illas non omnino excidere praedicato, palam est. (*)

Iis vero, quae diximus, aditum nobis ad ea, quae restant, dicenda, reddidimus facilem, & expeditum. *Ad alterum enim tractationis nostrae caput dum nos iam recipimus*, nullo negotio ratio explicari poterit, qua dicta gentilium opera DEO placere arbitremur. Diuersa autem ratione DEO aliquid placere potest. MATTHIAS. FLACIVS (**) duas in genere huius vocabuli significationes esse, docet, *alteram passiuam*, quum nobis aliquid valde placet, tamquam salutare ac suauē, siue ex quo fructus nos, commodaque, percipimus: quemadmodum DEus pater de filio dicit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui Matth. III, 17. conf. Ef. XLII, 1. *alteram actiuam*, quum bene placet aliquid, cui nos gratis ac sponte fauimus. Priori igitur modo quum ne renatorum quidem actiones DEO placere queant, utpote quibus ille non indiget, multo minus placebunt, quae a non renatis fiunt. Posterior hinc significatus in censum nobis venit, quo DEus nimirum sponte, ac gratis, fauet, vberemque amoris adfectum demonstrat. Sed id diuersa iterum intelligi debet ratione. Si enim opera ita comparata sint, ut vel virtute propria iustitiae diuinae satisfaciant, vel merito alieno, Christi quippe, commendentur, DEus in iis adquiescit, quasque deliciatur, & non approbat solum, sed & maximis praemiis remuneratur, vid. Ps. XVI, 3. In statu integritatis homines actionum suarum virtute ira DEI poterant adficere benevolentiam, ut in illorum fortius subinde traheretur amor (**). Post lapsum vero dolendum dictum in modum nihil DEO placet nihilque placere potest, nisi quod fidem causam agnoscat suam, nisi quod Christi sanguine purgatum est, atque merito eius quasi vestitum

(*) *Comp. Magn. DN. D. FRANC. ALB. AEPINI, praeceptoris mei, & honoratissimi, & dilectissimi Compend. Metaph. ad Th. applic. Part. III. Sect. I. Cap. IV. §. 4. in vsu subiuncto.*

(**) *Clau. scriptur. sub voce beneplaciti p. 78.*

(***) *Conf. IO. TRELIVNDII, theologi Hafniensis Disp. de theologia paradisiaca §. 16.*

stitum. Ita scriptura diuini praecepit; ita omnes credunt, diuina
 oracula quibus curae, cordique, sunt; Ita Paulus, magnus ille genti-
 um doctor, docet, *quidquid*, inquit, *non ex fide est, peccatum est*,
 Rom. XIV, 23. & Ebr. XI, 6. *ἀδύνατος* est, *ut sine fide quisquam DEO*
placeat. Sed vero, si opera ita comparata sint, ut, quamuis ad DEI
 iustitiam relata, peccata sint, poenisque digna, fini tamen iuris natu-
 rae quodammodo conueniant, & misericordiae DEI, latius sese ex-
 plicandi, ansam praebeant, illa non omnino quidem; sed in tantum
 tamen approbat, in quantum operantium ipsa conuersioni inseruiant.
 Atque hac demum ratione gentilium opera DEO accepta esse, rata-
 que haberi, credimus, ut illorum, qui operantur, misereri, luceque e-
 uangelii, nostra minimum cognitione, eosdem illustrare velit. Pona-
 mus exemplum. Ponamus, patrem filium ob sceleratam vitam ex-
 haeredasse; at, quum omnem non exuerit amorem, reliquisse tamen
 media, quibus si ille recte utatur, quodammodo ad ipsum redire, ipsi-
 usque implorare gratiam possit. Ponamus, filium patris sui se at-
 temperare consilio, magnoque quidem opere cum illo cupere recon-
 ciliari; equis erit, qui sibi tum persuadeat, vel primos hosce melio-
 ris vitae conatus patri displicituros? Certe, ubi tantum consequutus
 fuerit pater, ut filium male feriatum ad melius viuendi propositum re-
 uocauerit, nec suo ipsius deerit amori; nec saluti filii, quin, utriusque
 quomodo consulatur? prudenter porro rationes circumspiciat. Idem
 suo modo & de DEO dicendum. Vbi enim hunc iuris naturae, legum-
 que cordi insitarum, finem, & scopum, attingunt gentiles, ut iis, qui-
 bus naturaliter possunt, viribus DEum venerentur, vltiorique eius
 gratiae quasi inhiant, Numinis certe conuenit & sapientiae, & miseri-
 cordiae, & proposito etiam, ut gratiae illis auxilia eo quasi lubentius
 concedat, eosdemque euangelii luce beet. Magna est commiseratio,
 inquit! Est profecto. Nec tamen fundamentum eius, ceu ex dictis
 constat in operum ipsorum, aut virtute, aut merito, quaerimus; sed in
 ipsa DEI misericordia, id demum operibus tribuentes, quod opportu-
 nitatem, qua gratia DEI vltior exferere se queat, suppeditando, eum
 ad iuuandum, succurrendamque porro, extimulent quasi, excitent-
 que (*). Quod qui capere nequit, illum rogatum velim, ut causam
 B adle-

(*) Vix credas, inter ipsos, orthodoxos ceteroquin, veteris ecclesiae doctore
 fuisse, qui naturae viribus tantum tribuerent, ut Philosophiae ope Grae-
 cos dicerent iustificatos, Graecisque philosophiam perinde, ac Iudaeis, le-
 gem esse datam usque ad aduentum Christi. At beatus tamen IO.

adleget, cur DEus iuxta lumen naturae agnosci, cur iisque, quae dicta-
 men conscientiae iniungit, officiis coli velit, quum tamen, quibus id
 praestetur, opera nec approbet, nec, iis se induci, patiat, ut, qui ope-
 rantur, verbi reuelati concione augeat? Sed obstant nobis exempla
 eorum gentilium, qui, nostra quidem opinione, dictamen rectae ra-
 tionis exsequuti sint; nec tamen peruenerint ad DEum? Obstant, non
 abnuimus. At respondemus cum apostolo: *ὡς ἀνεξηρεύνητα τὰ κρί-
 ματα αὐτοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ!* Rom. XI, 33. Ipse adle-
 gavi antea exempla Platonis, Socratis, aliorumque, quorum non omnes
 vno loco me habere actiones fallus sum; sed non teneor, causam di-
 cere, cur illorum Deus non misertus sit? cur gratiae suae illos non
 beauerit auxiliis? Primum quidem ob rationem apostoli. Tum & i-
 deo, quod nos fugiat, quantum gratiae illis obtigerit, quotque illos mo-
 dis ad se inuitauerit DEus. Potuit enim fieri, ut vltioribus DEI ex-
 citationibus obstrepent, praecueniente gratia licet prudenter vfi. Cui-
 accedit, quod iustum formare de singulis singulorum actionibus iu-
 dicium, non nostrum sit, sed solius Numinis. Spectat huc, quod
 grauiter monet b. IOANNES GERHARDVS (*). *Quod si
 vel maxime, scribens, rationem diuinorum consiliorum non possumus
 adsequi, praesertim, quando ad indiuidua descenditur, teneamus tamen fi-
 xum, ac firmum, quod iudicia DEI possint esse occulta, iniusta autem esse non
 possunt, cet.* Interim, ut ipsi ecclesiae nostrae confessores, loco antea citato,
 non abnuunt, quod bona gentilium opera, aliqualem saltem in modum,
 DEO approbentur, concedentes, temporalibus illa praemiis ornari;
 ita vix me contineo, quin Petrum ipsum, virum *θεοπνευστον*, ex Act.
 X, 34. 35. eorum, quae disputavi, testem mihi aduocem. Scio equidem,
 plerosque citata commata de iis exponere, qui aliqualem iam de Chri-
 sto notitiam nacti ex fide DEum timeant, iustitiamque operentur.
 Nec nego, hunc sensum eo fieri probabiliorem, quo magis apparet,
 Cornelium ipsum fuisse profelytum. Attamen, si dicendum, quod
 sentio, verba Petri scopo eius mihi non convenientius videntur ex-
 plicari posse, quam, vbi explicantur de iis, qui ductui rectae rationis
 obtemperantes, Numen agnitum reuereantur, iustitiamque, id est, iu-
 sta quaedam legis opera peragant. Tamquam enim ex Rom. I. 18.
 certo colligitur, gentiles, si *ἀλήθειαν ἐν ἀδικίᾳ* non detineant, iustiti-
 am

FRANC. BVDDEVS *Clementis Alexandrini id, demonstrat exemplo.*
 Vid. *Hagog. ad Th. Libr. Post. Cap. III. §. 5.*
 (*) *Harm. Euang. Tom. II. p. 1999.*

am quodammodo praestare posse; ita & scopus apostolo non is est, ut ostendat, quam quiuis ex quavis gente, si per fidem Deo iam adhaereat, illi gratus sit; sed hic est, ut mirabile Dei praedicet consilium, quo quemuis demum in Ecclesiae communionem cooptare velit, modo luminis naturae paedagogia recte utatur. Numquid enim dubitare poterat apostolus, placere Deo, qui ob fidem illi non placere nequibant? placere Deo, quorum ipsum iam tum misertum esse, eo supponendum fuisset, quod fide in Christum iam fuissent imbuti? Sed id capere Petrus nequieverat, gentiles euangelii consortes, hac minimum ratione, futuros: Quare Deus per singularem visionem ea de re illum praemonuerat v. 10-16; quare ipse etiam diuinus legatus praefatus erat ad Cornelium, eosque, qui cum illo erant, scire ipsos, quod non liceat Iudaeo apud alienigenam intrare v. 28. Quum vero Dei consilium exemplis videret comprobatum, id se iam nunc, dicit, *ἐπ' ἀληθείας* comperire, nimirum, Deum non esse *πρὸς ὁσὴν ἄλλοθεν*, sed in omni gente, qui illum timeant, iustitiaeque litent, quosuis illi esse acceptos. Conf. etiam com. 45. Cornelium fuisse profelytum, approbavi; (*) sed, quum ille tamen ex gentilibus esset adlectus, Petrus inde occasionem adripuit, docendi, quam in genere Deus omnium, ut Cornelii, sociorumque eius, misereri, maiorique subinde gratiae mensura eosdem ditare velit, modo horum etiam exemplo naturae non obniterentur legibus. Absit interim, ut naturalismi, atque indifferentissimi patronis frigidam suffundamus! Hi enim quamquam ex his verbis errori suo, quod sola religio naturalis ad salutem sufficiat, fundamentum petunt, atque praesidium; tamen causam suam produnt magis, quam iuuant. Turpissimam enimvero fallaciam eos committere, quod cum certo respectu dictum est, simpliciter interpretando, quis est, qui non videat? Absit itidem, iterumque absit, ut Pontificiorum, aliorumque, sumamus partes, qui ex hoc loco opera, quae vocant, praeparatoria, liberumque arbitrium adstruere gestiunt! Huc nostram non tendere mentem, in apico est. Quamquam, si quis propter horum hominum imprudentiam in recepta adquiescendum putauerit explicatione, cum eo hac super re multum contendere nolumus. (**)

Verum

(*) Vid. HVMPHRID. PRIDEAVX *Alt und Neues Testament in eine Connection mit der Iuden und benachbarten Völcker Historie gebracht* Parr. II. Cap. V. p. 309. 310.

(**) Conf. interim B. GOTTL. WERNSDORFII, *Comment. de indifferentissimo religionum dissert. III. p. 192. seq.* B. ZACH. GRAPPII *theol. res. sontrou.* Cap. I. *Quaest. IV.*

Verum, quorsum haec omnia disputo? Et numquid ex iis, quae attuli, vtilitatis proueniat? Proueniat certe, si consideremus, quod haec demum ratione bonis gentilium operibus debitum statui possit pretium; quod mirabile Dei consilium, quo per lumen naturae homines ad lumen gratiae adlicere studet, eo magis pateat; quod porro ex dictis appareat, quomodo ethnici suis actionibus multos, qui ab externa fidei professione Christiani dicuntur, extremo quidem iudicii die, in pudorem sint daturi, conf. Matth. XI. 21. XII. 42. & quod denique, quum Deus vel haec ipsa gentilium facta quodammodo compenset, intelligamus, quanta eius sit benignitas, quanta misericordia, quantisque praemiis regentorum opera, καὶ ἐξοχήν bona, aliquando sit remuneraturus.

Sed manum de tabula! Satis dictum est, VIR PL. REVERENDE!

Et iam tempus equum fumantia soluere colla.

Quum interim, Salomone teste, verbum, in tempore prolatum, sit tamquam pomum aureum in argentea forma, & vero, quae oculis TVIS, TVAEque censurae hic subiicio, tempori conueniant, eique, quod suscipis, muneri, non, quod ingratum sit, me TIBI offerre donum, persuasus sum. Et quid alias praestandum? Num merita TVA recenseam? Dicamne, quam muneris noui capax sis fungendi? At merita TVA quis est, quem lateant? At ego is non sum, qui TE laudare queam, nec TV profecto is es, qui laudari magnopere cupias. Num denique laboriosus sim in votis, quibus TE augeam, congerendis? Quum animi candorem, quum pectoris obseruantiam noueris, non votis opus erit, sed voto. Sufficiet, si de TE gratulatus fuero muneri, de munere TIBI. Sufficiet, sufficiatque, Deum implorasse praepotentem, ut nouo, & muneri, & oneri, humeros accommodanti TIBI, nouas vires, nouamque gratiam, suffundat, ac ecclesiae TE, academiaeque nostrae, & toti eruditorum orbi fructuosam diu nauare iubeat operam. Ceterum, TVAE me porro commendatum cupio beneuolentiae, TVOque fauori, numquam non futurus


NOMINIS TVI PLVRIMVM REVERENDI
& EXCELLENTISSIMI


Scribebam Rostochii
XI. Calendarum Augusti
MDCCXXX.


studiofissimus, perpetuusque
Cultor,

CAROLVS CHRISTIANVS ENGEL.









am quodammodo praestare posse; ita & scopus apostolo non is est, ut ostendat, quam quiuis ex quavis gente, si per fidem Deo iam adhaereat, illi gratus sit; sed hic est, ut mirabile Dei praedicet consilium, quo quemuis demum in Ecclesiae communionem cooptare velit, modo luminis naturae paedagogia recte vtatur. Numquid enim dubitare poterat apostolus, placere Deo, qui ob fidem illi non placere nequibant? placere Deo, quorum ipsum iam tum miserum esse, eo supponendum fuisset, quod fide in Christum iam fuissent imbuti? Sed id capere Petrus nequiverat, gentiles euangelii consortes, hac minimum ratione, futuros: Quare Deus per singularem visionem ea de re illum praemonuerat v. 10-16; quare ipse etiam diuinus legatus praefatus erat ad Cornelium, eosque, qui cum illo erant, scire ipsos, quod non liceat Iudaeo apud alienigenam intrare v. 28. Quum vero Dei consilium exemplis videret comprobatum, id se iam nunc, dicit, *ἐπ' ἀληθείας* comperire, nimirum, Deum non esse *προσωπολήπτην*, sed in omni gente, qui illum timeant, iustitiaeque litent, quosuis illi esse acceptos. Conf. etiam com. 45. Cornelium fuisse profelytum, approbaui; (*) sed, quum ille tamen ex gentilibus esset adlectus, Petrus inde occasionem adripuit, docendi, quam in genere DEUS omnium, ut Cornelii, sociorumque eius, misereri, maiori que subinde gratiae mensura eosdem ditare velit, modo horum etiam exemplo naturae non obniterentur legibus. Absit interim, ut naturalismi, atque indifferentissimi patronis frigidam suffundamus! Hi enim quamquam ex his verbis errori suo, quod sola religio naturalis ad salutem sufficiat, fundamentum petunt, atque praesidium; tamen causam suam produnt magis, quam iuuant. Turpissimam enimvero fallaciam eos committere, quod cum certo respectu dictum est, simpliciter interpretando, quis est, qui non videat? Absit itidem, iterumque absit, ut Pontificiorum, aliorumque, sumamus partes, qui ex hoc loco opera, quae vocant, praeparatoria, liberumque arbitrium adstruere gestiunt! Huc nostram non tendere mentem, in aprico est. Quamquam, si quis propter horum hominum imprudenciam in recepta adquiescendum putauerit explicatione, cum eo hac super re multum contendere nolumus. (**)

Verum

(*) Vid. HVMPHRID. PRIDEAVX *Alt und Neues Testament in eine Connexion mit der Iuden und benachbarten Völcker Historie gebracht Part. II. Cap. V. p. 309. 310.*

(**) Conf. interim B. GOTTL. WERNSDORFII, *Comment. de indifferentismo religionum dissert. III. p. 192. seq.* B. ZACH. GRAPPII *theol. res. controu. Cap. I. Quaest. IV.*

